

AD LIBRUM II.

CAPUT I.

P 77. De VII. Electorum institutione.) Hoc argumentum singulari libello diligentissime tractavit Simon Schardius J. C. & Camerae Imperialis Assessor, cui titulum fecit: *De Principum quibus electio Imperatoris in Germania commendata est, origine seu institutione*: in quo recentiorum quorundam praesertim Onuphrii Pavinii sententia refutata, communis opinionis (quam etiam Andlo- us noster hic sequitur) veritas defenditur. Idem etiam accurate tractat, Nicolaus Cisnerus J. C. & Assessor in Oratione quam de Ottonne III. Imp. & institutione Electorum edidit. Sed & Mich. Beuterus in Animadvers. Historic. c. 13.

P. 78. Ludovico IIII. ultimo.) In vetustissima & optima illa mea Chronica Francorum ita lego: Anno dccccx. *Hic Ludovicus iuxta quosdam Karolorum ultimus in Teutonico regno imperantium: iuxta quosdam vero Conradus qui post hunc regnavit, ultimus computatur: à quibus & pater huius Conradus Adelberto interfectus, frater huius Ludovici fuisse aestimatur. Godfridi Viterbiensis versus sunt:*

*Ultimus iste fuit Carolorum sanguine cretus:
Sed tamen à latere stemmata Carlus habet.*

—Hugo dictus capet.) Videtis Papii Massoni *Annalium Francic. lib. 2.* Extat de huiusce Hugonis origine & atavis, illorumque cum antiquis Francorum Regibus agnatione & gente, libellus singularis Mat. Tampini Recanatens. Paris. 1581.

De Alemaniae Principum) omnium, Laicorum & Clericorum. Chronicae Francorum sub Anno dccccxi. Defuncto Rege Ludovico cum non esset ei filius, omnis Saxonum & Francorum populus querebat Ottoni Duci diadema regni imponere. Sed ipse quasi iam gravior, onus imperii recusavit. Tamen eius consilio supra memoratus Conradus quondam Dux Francorum unctus est in regnum: penes Ottonem tamen summum semper & ubique vigeat imperium. Ita eadem de Othone M. sub Anno dccccxxvi. eum ab omnibus Princi-

Z 3